EORUMQUE DISCRIPTIO DISTRIBUTIONISQUE EXPOSITIO

Est autem quaedam in hac re profunda et miranda speculatio, quam ait Nicoma-
chus in musica ton theorema proficiens et ad platonicam in Timeo animae generati-
one et ad intervalla armonicae disciplinae. Ibi enim iubemur producere atque exten-
dere tres vel IIII sesquialteros vel quotlibet sesquitertias proportiones et sesquiquar-
tas comparationes easque secundum propositum ordinem saepe continuas iubemur extendere.
Ne autem hoc labore quodam semper quidem maximo frequentius inferatur, sic fiat hac
nobis ratione in quot numeris quanti possint esse superparticulares investigan-
dum est. Omnes enim multiplices tantum similium sibimet proportionum principes
erunt quoto ipsi loco ab unitate discesserint. Quod autem dico sibimet similium, ta-
le est, ut duplus semper multiplicetur ut superius distinctum est sesquialteros esse
dixi, sit triplex sesquitertios, quadruplus sesquiquartos. Primus ergo duplex
unum solum habebit sesquialterum, secundus duo, tertius tres, quartus quattuor,
et secundum hunc ordinem eadem fit in infinitum progressio. Neque umquam fieri potest ut vel su-
peret proportionum numerum vel ab eo fit diminutior aequabilis abundantiae loca-
tio. Primus ergo duplex est binarius numerus, qui unum solum sesquialterum recipit,
id est ternarium. Binarius enim contra ternarium comparatus sesquialteram efficit proporti-
onem. Ternarius vero quoniam medietatem non recipit, non est alter numerus ad quem in
ratione sesquialtera conparetur. Quaternarius vero numerus secundus duplus est. Hic
ergo duos sesquialteros praecedit. Est enim ad ipsum quidem comparatus senarius numerus
ad senarium vero quoniam medietatem habet novenarius, et sunt duo sesquialteri ad IIII scilicet
VI, ad VI VIIII. Novenarius vero quoniam medietate caret ab hac comparatione seclu-
sus est. Tertius duplex est VIII. Hic ergo tres sesquialteros antecedit. Comparatur
enim ad ipsum duodenarius numerus. Ad duodenarium XVIII, ad XVIII rursus
XXVII, atque XXVII medio caret. Idem quoque in sequentibus evenire necesse est,
quod nos cum propria ordinatione subdidimus. Semper enim hoc divina quadam nec huma-
na constitutione speculationibus occurrit, ut quotienscumque ultimus numerus in